



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob
Romani cleri multitudinem ...**

**La Roche-posay, Henri-Louis Chasteigner de
Tolosae, 1614**

A S. Coelestino V. Creati. Ordinis Coelestinorum Institute.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10735

THEOBALDVS Stampensis Anglus, de cuius Cardinalatu addubito, quicquid dicat author Catalogi scriptorum Angliæ, scripsit

Contra errantem in Theologicis.

Disputationes aliquot.

Et alia nonnulla. Obiit anno 1289.

A. S. COELESTINO V. CREATI.

Ordinis Cælestinorum Institutore.

IOANNES DE CRESSY Monachus dioc. Ambianensis Gallus, ex Episcopo Meldensi Cardinalis, amplissimum Collegium Lutetiæ excitauit, scripsitque

Commentaria in 6. Decretalium.

Glossam auream nuncupatam Venetiis editam anno 1586.

Aliaque nonnulla in iure canonico. Lutetiæ iacet in æde præfati Collegij cum hoc Epitaphio.

Hic iacet Dominus Ioannes Monachus Ambianensis diocesis, tituli sanctorum Marcellini & Petri presbyter Cardinalis, fundator istius domus, qui obiit Auenione anno Domini 1313. die 22. mensis Augusti: Sepultus fuit hic, die prima mensis Octobris anno eodem, orate pro eo.

GVILIELMVS Longus Bergomensis ex Cancellario Caroli 2. Siciliae Regis Cardinalis, tanti nominis in vtriusque iuris scientiâ fuit, vt Bonifacio 8. in Sexto Decretalium condendo frequentem operam haud inglorius auxiliator præbuerit. Obiit Auenione. Anno 1319. Bergomique in Ecclesia Minorum, cum hoc iacet Epitaphio.

Hic iacet corpus pie memoriæ Guilielmi de Longis Cardinalis.